

latione de remissione praegressi contemptus eiusdem v. 29-31. Prior pars iterum complectitur  $\aleph$ ) indicationem argumenti in genere, quae fit comparatione veri huius Dei cum Deo ignoto *Atheniensium* ob captandam eorundem beneuolentiam, dum se non novos praedicare Deos audirent v. 22-23.  $\beth$ ) complectitur etiam descriptionem huius Dei ex operibus eius, ut eo melius eiusdem praestantiam prae fictitiis perspicerent v. 24-28. ubi mentionem iniicit  $\alpha\alpha$ ) creationis omnium rerum v. 24-27. quae ab illo ad existentiam sunt perductae:  $\beta\beta$ ) conseruationis quoque atque prouidentiae v. 28. Creationem describit  $\alpha\alpha$ ) quoad vniuersum siue omnes res creatas v. 24. 25. ex qua omnium rerum ab ipso dependentiam, ejusque ab omni re existente independentiam probat  $\beta\beta$ ) quoad homines imprimis v. 26. 27. qui non minus existentiam ipsi debent, ubi iterum  $\aleph\aleph$ ) ipsam eorundem creationem describit v. 26.  $\beth\beth$ ) simul vsus, qui hac ex cognitione in homines redundare potest, praecclare v. 27. indicat.

### §. VI.

Exinde iure concludimus  $\aleph$ ) argumentum dicti nostri consistere in descriptione creationis hominum eorundemque a Deo dependentiae, cuius scopus ille est, ut media ipsis monstret, quibus ad veri Dei cognitionem peruenire hominibus, antequam reuelationem propiorum habeant, vel uti ea possint, liceat. Verus Deus iam ex intuitione coeli & omnium reliquarum rerum creatarum cognosci potest, quia inde apparet, mundum adspectabilem non a se ipso nec ab alio ente contingentem existentiam habere; consequenter concludi potest debere

re